AD ORATIONEM

IN MEMORIAM
ILLVSTRISSIMAE COMITIS
I. H. L. DE BESTVCHEF RVMIN

D. XXX. OCTOBR. H. IX.

IN AVDITORIO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

HABENDAM

INVITAT

ORDINIS PHILOSOPHORVM DECANI

NOMINE

GODOFREDVS HERMANNVS.

Defensio dissertationis de ὑποβολῇ.

LIPSIAE
TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Existimabam licere in litteris quod quis verum falsumve esse crederet aperte et libere proferre, si ab indole vanitas et iactatio, ab animo odium et malevolentia, a disputandi ratione fraus et calumnia, a sermone rusticitas et contumeliae abessent. Verumtamen ne hoc quidem ab omnibus concedi quum alias intellexi, tum nunc ipsum vidi perlustrata ea quae novissime in lucem exiit parte Corporis Inscriptionum, in qua cuiusdam refellendi studii, quo ab aliquot annis tenear, sum insimulatus. De eo non meum est iudicare, sed mirabuntur, credo, illi, qui quum alias meminerint A. Boeckhii disputationes, tum legerint, quae in Corporis Inscriptionum vol. II. p. 663. seqq. scripsit, ut vel *ἀνακεῖσθαι πίνακα* dici posse negaret, qui in pariete pictus esset, Welckerumque a me irrisum iis verbis esse diceret, quae neque spectabant ad Welckerum nec poterant ad eum spectare. Si ego non postulo a Boeckhio, ut ille mihi assentiatur, ubi me errare putet, item mihi licitum esse par est, quae mihi ille non vera dixisse videatur, aperire. Conqueri de altero is demum nostrum iure suo poterit, qui sibi non eo modo, quo inter litteratos decebat, contradictum esse demonstraverit, si tamen opus est demonstrari, quod quivis quale sit ex scriptis utriusque aestimare potest. Sed, ut dicam quod res est, ego quum maximi faciam valdeque admirer doctrinam Boeckhii, tamen de interpretandi veterum monumenta emendandique ratione saepe ab eo, et maxime tum dissentio, quum eum semel ab se dicta, etiam si defendi non possunt, defendere video pertinacissime. Hinc ei ex cupiditate iracundia et vicaria argumentorum convicia. Bonam enim caussam facile aequo tueare animo. Igitur ego, quoniam in iis, quae de *ὑποβολῇ* scripsi in Opusc. vol. V. p. 300. seqq. refellendi potius quam veritatis studio visus sum dissensisse, recognoscere volo eam rem, rationesque expendere, quibus suam Boeckhius defendit sententiam. Habet autem haec caussa partes duas, unam, quae est in explicatione versuum, in quibus Homerus *ὑββάλλειν* dixit; alteram, qua quaesitum est quid in certaminibus puerorum esset *ὑποβολή*.

Homerus in XIX. Iliadis, relata oratione Achillis, qua is iram se deponere declarat, haec dicit a v. 74.

ὣς ἔφαθ᾽ οἱ δ᾽ ἐχάρησαν ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ
μῆνιν ἀπειπόντος μεγαθύμου Πηλείωνος.
τοῖσι δὲ καὶ μετέειπεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
αὐτόθεν ἐξ ἕδρης, οὐδ᾽ ἐν μέσσοισιν ἀναστάς·
ὦ φίλοι, ἥρωες Δαναοί, θεράποντες Ἄρηος,
ἑσταότος μὲν καλὸν ἀκούειν, οὐδὲ ἔοικεν
ὑββάλλειν· χαλεπὸν γάρ, ἐπιστάμενόν περ ἐόντα.
ἀνδρῶν δ᾽ ἐν πολλῷ ὁμάδῳ πῶς κέν τις ἀκούσαι
ἢ εἴποι; βλάβεται δὲ λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής.
Πηλείδῃ μὲν ἐγὼν ἐνδείξομαι, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
σύνθεσθ᾽ Ἀργεῖοι, μῦθόν τ᾽ εὖ γνῶτε ἕκαστος.

Tum exponit Agamemno longam illam de Ate fabulam. Huius igitur loci ego cum antiquis quibusdam interpretibus hanc esse dicebam sententiam, oportere quidem stantem verba facere, nec decorum esse suggerere alii, quae is pro se diceret, sed in tanto tamen concionis strepitu, in quo vix audiri orator posset, Achilli se dicturum, quae is deinde cum caeteris communicaret; vituperabam autem illius scholiastae, quem Boeckhius sequitur, explicationem: *μὴ διακόπτειν ἐξ ὑποβολῆς τὸν λόγον· ὑββάλλειν γὰρ τὸ διακρούεσθαι θορύβῳ τὸν λέγοντα.* Ad haec primo respondit Boeckhius p. 677. a. *non Agamemnon Achilli mandat quidquam dicendum, sed ipse ad Achillem ex sede sua dicit, quae audiant etiam reliqui: igitur nihili est illa interpretatio, quam ipse Hermannus non ullo demonstravit argumento, sed proposuit simpliciter.* Non videor ego mihi istam explicationem non ullo demonstrasse argumento, qui et explicaverim quid esset ὑποβάλλειν, et ex usu eius verbi, allatis aliorum interpretum opinionibus, explanare Homerici loci sententiam studuerim. Quod si Boeckhius nihili esse hanc interpretationem dicit, quia non Achilli mandet quidquam dicendum Agamemno, sed ipse ex sede sua dicat, quae audiant etiam reliqui: non refutavit meam explicationem, sed dixit falsam esse, quia non sit ea, quam ipse veram esse censet. De hoc ergo iam erit quaerendum. Pergit vero: *immo sententia haec est. Ex sede sua dicit Agamemnon, quod non est moris. Igitur ait: „Decorum est auscultare stantibus, neque ex sede interpellare (quae enim ex sede dicuntur, praeter morem dicuntur interpellando). Nam si ita dicere ex sede et interpellare liceat, nemo nec dicere possit neque audire: tamen ego ex mea sede ad Achillem dicam, vos vero simul, Achaei, percipite quae dico et recte*

perpendite." *Obscurius sane haec expressa sunt; nec nunc removebo quae possint obiici: sufficit meam proposuisse sententiam, ut suam proposuit Hermannus non additis argumentis.* Hoc modo si disputatur, non est id disputare, sed altercari. Quod ego quoniam facere non amo, ad refellendum me dare cogor. Videtur Boeckhius, quantum ex eius verbis colligo, ὑποβάλλειν propemodum idem esse iudicare, quod ex sede sua dicere, quia quae ex sede dicantur, dicantur praeter morem interpellando. Eam vero potestatem nego inesse in isto verbo posse, non solum quia neque qui sedens dicit, ubi stantem oportebat, semper interpellat, nec stantium non est interpellare, sed etiam quia, ut quis interpellare possit, loqui aliquem, quem interpellet, necesse est. Quare qui sedens in concione dicit, non magis, quam qui stat, quemquam interpellabit, nisi iam loquatur alius. Ergo ab interpellando nec per ipsam verbi naturam ὑποβάλλειν eo traduci potuit, ut significaret *ex sede dicere*, nec potest in versu Homeri, quia, postquam peroravit Achilles, nondum surrexit aliquis, quem interpellaret Agamemno. Haec quidem tam plana sunt, quam quod maxime. Occurrere huic obiectioni voluit Boeckhius eo, quod scripsit: *nam si ita dicere ex sede et interpellare liceat.* Ad id ipse intulit in verba Homeri, apud quem de se solo loquitur Agamemno, strepitumque dixit vel eum qui nunc sit, vel qui futurus sit se verba faciente, non illum, qui futurus esset si multi ex sede sua dicerent. Id enim nisi diserte dictum nemini potest in mentem venire. Sed si Boeckhii explicatio admitti non potest, non concludam ego quidem propterea veram esse illam, quae a me est proposita. Non esset enim mirandum, si ambo erravissemus, praesertim in loco, de quo iam antiqui grammatici in diversissima discesserunt. Nam non solum ὑποβάλλειν quid esset et de quo dictum, verum etiam caetera verba quo referenda, qua ratione accipienda, quomodo inter se nectenda, denique quomodo scribenda essent, adeoque etiam qui haec loquitur Agamemno sederetne an staret disceptatum est. Vt ab hoc postremo incipiamus, Zenodotus scribebat:

τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων,

omisso sequente versu,

αὐτόθεν ἐξ ἕδρης, οὐδ' ἐν μέσσοισιν ἀναστάς,

quem versum recepit (ἐνέθηκεν et παρενέθηκε dicunt scholiastae) Aristarchus. Massaliotica autem et Chia recensio hos versus habuerunt:

τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων,
μῆνιν ἀναστενάχων καὶ ὑφ' ἕλκεος ἄλγεα πάσχων.

Aristarcho alii grammatici opposuerunt, ineptum esse, sedere Agamemnonem, ut non pedis, sed brachii vulnere, eoque non admodum gravi accepto, quando paullo post verrem mactet. Ex hac et grammaticorum dissensione et discrepantia scripturae hoc tamen videtur colligi posse, prout explicaretur ὑποβάλλειν, vel stante vel sedente Agamemnone dici posuisse. Nunc plerique de interpellando dictum voluerunt, ita quidem, ut non Agamemno alios, sed alii Agamemnonem dicerentur interpellare. Quidam vero de suggerendis quae dicenda essent acceperunt, sed non uno modo. Nam Apollonius interpretabatur μηδείς μοι ὑποβαλέτω, putans Agamemnonem sibi quae diceret suggeri ab aliis noluisse; alia autem explicatio, cuius auctor fuit Archias, prodita est ab uno scholiastarum atque Eustathio et in lexico Apollonii, qua orator ipse creditus est non debere alii suggerere, quae is ut interpres deinde communicaret cum caeteris: unde ad σύνθεσθε adnotatum est: οἱ δὲ λοιποὶ ἀκούσαντες εἴπατε τοῖς μὴ ἀκούσασιν. Vtraque ratio displicuit τοῖς χαριεστέροις, quod ignotum Homero fuerit, ut scholiastae verbis utar, τὸ τοιοῦτον εἶδος τῆς δημηγορίας, λέγω δὲ τὸ ἐξ ἀναγνώσεως καὶ γραφῆς ὑποβαλλόμενον. Rectius Eustathius: διὰ τὸ μὴ εὑρίσκεσθαί που παρὰ τῷ ποιητῇ τὴν δι' ὑποβολέως δημηγορίαν. Apollonii quidem explicationem recte repudiatam esse nemo dubitabit. Quare de solis duabus reliquis videndum.

Ὑποβάλλειν in iis quae in Opusculis scripsi ostendi proprie significare *subiicere alteri quod recordetur vel dicat.* Quod quum quid subiicitur non recordanti vel aliud quid dicturo, coniuncta est quidem ea subiectio cum quadam interpellatione, quia ad aliud convertit cogitationem eius, cui quid subiicitur, sed non est tamen ut ipsa per se possit interpellatio vocari, quae potest etiam imperando silentio vel commemoratione contineri rei plane alienae. Videamus iam quid moverit eos, qui Agamemnonem ipsum esse τὸν ὑποβάλλοντα statuerunt. Hi primum hanc caussam habuerunt, quod ille non staret, sed sederet. Sedere autem utrum putaverint, quod scriptum legerent

αὐτόθεν ἐξ ἕδρης, οὐδ' ἐν μέσσοισιν ἀναστάς,

an eum versum ipsi posuerint, quo ne stare Agamemnonem indicarent illa verba, ἑσταότος μὲν καλὸν ἀκούειν, non habemus compertum. Sed sane tamen ἑσταότος, quia in principio positum est, opponi postulat sedentem. Nam si simpliciter oratorem dicere Homerus voluis-

set, dixisset *καλὸν ἀνισταμένοιο ἀκούειν.* Altera, eaque gravior caussa haec fuit, quod illa, *χαλεπὸν γάρ, ἐπιστάμενόν περ ἐόντα*, quum infinitivum aliquem intelligi necesse sit, non videbantur per linguae leges recte dicta esse, nisi is infinitivus esset idem, qui modo praecessit, *ὑποβάλλειν.* Nam Alexandri Cotyaeensis explicatio, *χαλεπὸν γὰρ καὶ τῷ πάνυ δεινῷ ἐν ταραχῇ εἰπεῖν*, patet quam violenta sit, si orationis habendae notio in *ὑποβάλλειν* non inest. Expedivit rem Aristarchus scribendo *ἐπισταμένῳ περ ἐόντι.* Sed quum nesciamus volueritne de interpellando an de suggerendo intelligi *ὑποβάλλειν*, ambigua manet interpretatio scripturae ad utrumque quadrantis. Nam aut hoc significari voluit: *non decet interpellare oratorem: molestum est enim perito quidem oratori;* aut ita distinxit verba: *οὐδὲ ἔοικεν ὑββάλλειν* (*χαλεπὸν γάρ*) *ἐπισταμένῳ περ ἐόντι*: *non decet suggerere (difficile est enim) quamvis perito interpreti.* Sed sive hoc sive illud placuit Aristarcho, patet ipsius eam esse emendationem, expressam difficultate loci, eoque non admittendam. Similis huic Archiae interpretatio est in Apollonii Lexico: *καὶ κατὰ μὲν Ἀρχίαν ἡ διάνοια αὕτη· ἑστῶτος μὲν καλόν ἐστιν ἀκούειν, οὐδὲ ἔοικεν ὑββάλλειν ἑτέρῳ· χαλεπὸν γὰρ τοῦτο καὶ τῷ ἐπιστήμονι λόγων· ἀνδρῶν δ' ἐν πολλῷ ὁμάδῳ πῶς κέν τις ἀκούσειεν τοῦ ἑτέρῳ* (sic pro *ἑτέρου* scribendum videtur) *ὑββαλλομένου.*

Eadem verba torserunt etiam illos, qui *ὑποβάλλειν* de iis qui oratorem interpellarent dictum censuerunt. Ex quibus Porphyrius, quum satis probabilem viam ingressus esset, delapsus est ad inepta. Is sic scripsit: *ἐμοὶ δὲ δοκεῖ δύνασθαί τινα οὕτως ἀποδιδόναι τὴν διάνοιαν· ἐκκλησίας ἀθροισθείσης ὁ Ἀγαμέμνων παύει προοιμιαζόμενος τὸν θόρυβον, λέγων ὡς ἡ ἐκκλησία, οὐ πρὸς αὐτοὺς ἔχει τὴν ἀπότασιν, οὐδὲ δεῖν νῦν ὑποκρούειν, ζητοῦντας μαθεῖν τίνος ἕνεκα συνεληλύθασιν· χαλεπὸν γὰρ θορυβεῖν τὸν ἐπιστάμενον τὰ ὄντα. τίνα δὲ ἦν τὰ ὄντα πάντες που ἐγίνωσκον, ὅτι ἐμήνισαν πρὸς ἀλλήλους Ἀχιλλεὺς καὶ Ἀγαμέμνων, καὶ ὅτι νῦν κατηλλάγησαν, καὶ ὅτι ἡ σύνοδος διὰ τοῦτο.* Addit deinde plura in hanc sententiam, in quibus hoc solum memorabile est, quod sive ex libro sive memoriae errore affert *αὐτὰρ οἱ ἄλλοι σύνθεσθ' Ἀργεῖοι, ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες.* Imperite ille quidem *ἐόντα* esse voluit *τὰ ὄντα*, sed poterat satis commodam efficere sententiam, si sic distinxisset:

ἑσταότος μὲν καλὸν ἀκούειν, οὐδὲ ἔοικεν
ὑββάλλειν (χαλεπὸν γάρ) ἐπιστάμενόν περ ἐόντα·

quo hoc diceretur: *audire oratorem debet concio, neque eum aliquis quam-*

vis peritus dicendi interpellare: molestum est enim. Vacillat vero haec quoque explicatio. Nam neque ἑσταότος recte dictum est, nisi sequitur quod sit sedentis proprium, et χαλεπὸν γὰρ non modo ambiguum est, verum ne apte quidem additum, quia nemo non potius ad interpellantem quam ad eum qui interpelletur referet. Omninoque inutile est illud additamentum. Denique cur tandem ista praefari dicamus Agamemnonem? Num quia vereatur ne se aliquis fabulas narrantem interpellet? Non est id credibile, praesertim quum narraturus sit, qualia Graeci audiebant libentissime.

Apertum iam esse puto, nullam harum explicationum satisfacere, sed omnes habere quod vel perversum vel incommodum sit. Itaque dicam nunc de ea interpretatione explicatius, quae a me fuit proposita. Ac primum ἑσταότος, uti iam dictum est, referri debet ad oppositam sessionem oratoris. Ὑποβάλλειν autem dixi *subiicere alii quae dicat* significare. Id eo convenit sedenti, quod stantem quidem in magno coetu oratorem facile omnes exaudiunt, sedentis autem vocem illi tantum, qui proximi sedent, possunt percipere: ut, si cum omnibus quae dicenda habet communicari vult, proximis dicere debeat, qui ea deinceps tradant aliis. Ita vero oritur strepitus, aliis audita ad alios deferentibus, ut iam nec dicere quis neque audire possit, tota simul loquente concione. Agamemno igitur, quum stans verba facere propter vulnus nequeat, non vult tamen sedens proximis dicere, quae ab illis cum aliis deinceps communicentur, ne prae strepitu multorum loquentium nemo neque audire neque dicere possit, sed soli se Achilli quae dicenda habet, caeteris tacite auscultantibus, expositurum dicit. Itaque hoc modo loquitur: *stantem quidem audire pulcrum est, neque vero decet aliis porro dicenda committere: nam difficile id est quamvis exercitato oratori: quomodo enim vel audire vel dicere quis possit tanto in loquentium strepitu, quo vel validissimae vocis orator impediatur? Achilli quidem ego exponam: vos vero caeteri animis accipite, et quae dicam diligenter cognoscite.* Erunt, ut spero, qui aliter de hac interpretatione quam Boeckhius iudicent.

Venio nunc ad ὑποβολὴν in certamine puerorum. Pergit Boeckhius: *Sed pulchre deinceps Hermannus de voce ὑποβλήδην disputavit, quam exponit fere* p e r a d m o n i t i o n e m*: quae vis vocis ut vera sit in Homericis et reliquis, qui ex Homero petierunt vocem, tamen vel ex grammaticis constat,* ὑποβάλλειν *mature a Graecis* i n t e r p e l l a n d i *significatu acceptum esse: quod ad hanc causam sufficit, quae non est*

in Homerico vocis ὑποβλήδην usu posita. Vellem ego quidem non ex opinionibus grammaticorum, sed ex ipsorum testimoniis veterum scriptorum constare. Pergit: *Sed haec utut sunt, ὑποβολὴν et ὑπόληψιν esse idem, et ὑποβολὴν apud Diogenem pertinere ad rhapsodiam, longe est certissimum.* Profecto qui scribat ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι. Pergit: *quo intellecto ubi Chiam inscriptionem cum Teia contuleris, sponte offertur ea, quam proposuimus, coniectura, in Teio titulo ὑποβολὴν nihil esse nisi ῥαψῳδίαν ipsam. Adversus quam sententiam ita disserit Hermannus, ut ostendat, quae disputaverim de ea re, partim ex meris coniecturis hausta esse, partim rationibus non recte conclusis contineri, postremo autem eo redire, ut potuisse esse statuatur, quod nec demonstratum sit fuisse, nec potuisse esse veri simile sit* (p. 311.) *Equidem assuetus iam Hermanniano huic generi disputandi, quod minime invideo adversario, satis habeo addidisse, quae rationibus non recte conclusis contineri dicuntur.* Hac conditione vivitur, ut alteri alterorum moribus adsuescere debeamus. Ego quidem etiam hic quod dicit, collato utroque titulo, intellectoque ὑποβολὴν apud Diogenem pertinere ad rhapsodiam, non recte esse conclusum aio. Nam ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι qui dixit, eo ipso indicavit diversa esse ὑποβολὴν et ῥαψῳδίαν, posseque ῥαψῳδεῖσθαι etiam non ἐξ ὑποβολῆς. Quomodo ergo ὑποβολὴ idem sit quod ῥαψῳδία? Sequuntur haec: *Nempe, „ex eo, quod in utraque inscriptione ψαλμὸς et κιθαρισμὸς memoratur, nullo modo sequitur, si in altera nominata est ῥαψῳδία, in altera autem ὑποβολή, his vocabulis idem genus certaminis designari"; additur aliis etiam rebus differre Teios et Chios ludos. Sane quae dixi non sunt mathemathice demonstrata, sed ex analogia Chiorum quattuor ludorum iudicavi de ludis Teiorum cognatorum et vicinorum: necpaenitet facti, quum praesertim rhapsodiam inter pueriles fuisse exercitationes ludosque etiam aliunde, non ex sola Chia inscriptione demonstraverim. Quodsi ὑποβολὴν simul ex Diogene docui esse s u c c e s s i o n e m r h a p s o d o r u m, confecta res videbitur iudicibus non nimium morosis.* Ut horum priora mittam, quibus nihil efficitur aliud, quam ut potuerint etiam Teiorum pueri rhapsodia certare, at illud nec docuit Boeckius nec docere potuit ex Diogene, ὑποβολὴν esse successionem rhapsodorum. Nam Diogenis haec verba sunt I. 57. τά δὲ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. Ex his nihil aliud confici potest, quam ὑποβολὴν esse *exceptionem* vel

successionem, non *successionem rhapsodorum.* Latine si scripsisset Diogenes *succedendo cani carmina Homeri*, quis diceret solum per se successionis vocabulum significare successionem cantorum? *Porro omni modo laborare dicitur haec ratiocinatio:* „*Ubi invaluerat, ut in rhapsodia carmen carmini annecteretur ab iis, qui sese excipiebant, atque haec successionis ratio, quae in aliis musicis generibus locum non haberet, vocaretur ὑποβολή: ipsa rhapsodia potuit ὑποβολὴ dici.*“ *Haec enim ratio dicitur ab eo proficisci, quod non est demonstratum, ὑποβολὴν dictam esse illam successionem carminum. Immo hoc ex Diogene demonstratum est; omnisque Hermanni error inde proficiscitur, quod ipse sine ulla causa Diogenis verba levibus quibusdam dubitationibus, quibus ne umbra quidem veri inest, removit temere.* Non esse ex Diogene demonstratum, modo ostendisse videor. Quod autem dubitationes quasdam de verbis Diogenis movi, nihil ad rem, quia, etiam si ille ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι scripsit, non efficitur ut ὑποβολὴ sit ῥαψῳδία. Denique quod dixerat Boeckhius, illam successionis rationem in aliis musicis generibus locum non habuisse, etsi fortasse verum est, tamen nullam vim habet ad firmandam eius sententiam. Nam illa ratio posita est in eo, ut uno in carmine, ubi alius substitit, alius incipiat. Itaque nova demonstratione opus foret, qua ὑποβολὴν et ὑπόληψιν, qua voce alii usi sunt, non simpliciter succedendi, sed pro alio pergendi significationem habuisse ostenderetur. Nam successio sine dubio etiam in ψαλμῷ et κιθαρισμῷ aliisque huiusmodi certaminibus erat. Sequuntur haec: *At fieri non potuit, ut rhapsodia diceretur ὑποβολή.* „*Ut dicta sit rhapsodia ab assuendis et nectendis carminibus, at usu amisit illam significationem hoc vocabulum, dictumque est sic, ut nihil nisi recitationem carminis epici significaret: quod contra ὑποβολή, si est id quod vult Boeckhius, coniunctionem ipsam plurium carminum notat*“*: unde iam colligitur, qui nihil nisi unum ex his carminibus recitasset, non potuisse victorem ὑποβολῆς dici, quod haec esset coniunctio carminum. Quasi vero certamen ὑποβολῆς non fuerit coniunctione carminum factum ita, ut universum id certamen, in quo quis vinceret, esset iam carminum ὑποβολή.* Profecto: nam quis neget certamen ὑποβολῆς, si factum est coniunctione carminum, fuisse carminum ὑποβολήν? Sed carminum ὑποβολή, quod Graece est ὑποβολὴ ῥαψῳδιῶν, quid sit intelligimus, quia additum est cuius rei sit ὑποβολή; ὑποβολὴ si dicitur non addito cuius rei sit, qui tandem cuius rei sit

scias? Pergit ita: *quasi vero ὑποβολῆς vocabulum non et ipsum, ut ῥαψῳδίας, usu amittere primitivam vim potuerit: id quod factum esse idoneis adductus argumentis iudicavi.* Ῥαψῳδία quomodo de carminis epici recitatione etiam unius hominis dici potuerit ex eo patet, quod quicumque epicum carmen rite recitare didicisset, ῥαψῳδὸς vocabatur. Non tam facile intellectu est, quomodo successionis nomen non modo carminum in recitatione successionem, verum etiam recitationem sine successione designaverit. Immo nimis mirabile videtur succedendo vicisse dictum esse, qui recitando carmine aliquo vicisset. Quod enim dicit Boeckhius, ὑποβολῆς vocabulum, ut ῥαψῳδίας, usu amittere potuisse vim primitivam, non intercedam quin potuerit amittere, si habuit umquam: sed habuisse nondum demonstratum video. Immo, quantum ego quidem assequor, ex Boeckhii sententia vox illa, quae per se nihil nisi exceptionem vel successionem significat, primo dilatatur aliena notione suscepta, ut sit successio in recitandis carminibus; deinde autem rursum coangustatur, abiecta ea sui parte, quae principalis est, exutaque plane natura sua, ut sine successione relinquatur carminis unius recitatio. Id quidem quum factum esse idoneis se adductum argumentis iudicavisse testetur Boeckhius, nec tamen quae illa argumenta sint dixerit, non puto eum hoc vera cognoscere cupientibus, sed illis, quibus sui nominis auctoritatem satis esse scit, scripsisse. Eiusdem generis est, quod statim sequitur: *Porro quod ἀνταπόδοσιν ὑποβολῆς vs. 1. et ὑποβολὴν vs. 4. idem esse conieci, id minime probabile Hermanno visum. „Nam accurate solet in eiusmodi inscriptionibus genus certaminis designari, nec tam parci verborum fuere, qui istos titulos faciebant, ut quod prius diserte dixissent, deinde brevius indicarent.“ Videtur hoc ita illis, qui paucas tractarunt inscriptiones; mihi licebit aliter iudicare, qui tractarim plurimas.* Quis nescit? sed eo facilius aliquot exempla impertire potuerat ex tantis opibus, quantas quidem etiam qui non tractarunt, certe legendo potuerunt cognoscere. Caeterum haec quoque ratio non est recte conclusa, quia non sequitur, qui plurimas inscriptiones tractaverit, ei ut credendum sit in omnibus. Concludit vir erudissimus disputationem suam hoc sermone. *Denique quam Hermannus ipse profert interpretationem ὑποβολῆς ἀνταποδόσεως et ὑποβολῆς vs. 1. et 4. Teii tituli, de eius veritate ipse quidem dicit dubitari non posse, sed vereor ut eam probet scholarum nostrarum discipulis et magistris, ad quorum usum provocat. Nam ὑποβάλλειν quum*

sit suggerere, ὑποβολὴν *dicit esse*, „*recitationem factam memoriter, sed adstante qui ex scripto verba suggerat, ne forte haesitet et perturbetur is, qui eiusmodi specimem exhibet*" *et* ὑποβολὴν ἀνταποδόσεως *(ita enim construit haec)* „*recitationem diverbii, in quo, qui recitabat, utriusque colloquentium ingenium animique affectionem variata voce debebat exprimere.*" *Hoc posterius quum esset maioris exercitationis et peritiae, quam unius sermonem recitare, esse id adolescentibus adultioris aetatis tributum, mediae autem aetati simplicem assignatam esse* ὑποβολήν: *hodie quoque fieri, ut, quum pueri atque adolescentes in scholis aliquid coram coetu auditorum recitent, adstet eiusmodi monitor s.* ὑποβολεύς, *qui ex scripto suggerat verba. Ecce bellam adolescentium Graecorum, memoriosorum opinor, commissionem et certamen de victoria, adstante monitore haesitantibus opitulaturo; ecce bella certaminum nomina, suggestionis et suggestionis diverbii! Eam Charybdin qui evitare voluit, in quam ego incidissem, ut* ὑποβολῆς *nomine diceretur rhapsodiae certamen, qua re nihil perhibetur ineptius fieri potuisse, idem in hanc incidit Scyllam, ut qui recitationis memoriter factae certamine vicisset, is diceretur suggestionis certamine vicisse, hoc est eius rei, qua qui opus haberet, debebat victoria indignus iudicari. Dicamne Germanice vel usu Germanorum, qua re isti vicissent, si vera esset ista explicatio? Sie waren Sieger im Soufflíren, velut in scholis aiunt pueri nostri, im Vorsagen.* Ὑποβολεὺς *est enim ein Souffleur (Herm. p. 304.) Nunc iudicet lector, quo redeant indubiae istae Hermanni de* ὑποβολῇ *rationes, conferatque cum eo, quo redeant nostrae. Nimirum nostrae redeunt eo, ut* ὑποβολὴν *in Teia inscriptione esse rhapsodiam probabile sit collatis hac inscriptione locisque Diogenis et titulo Chio, atque ut a nobis aliquid sit allatum, quod cum moribus et institutis Graecorum et perse sit consentaneum: Hermannianae eo, ut neglecto temere Diogenis loco spretaque Chiorum ludorum analogia, denique eo ductus refellendi studio, cui multis ex annis indulget, tanti vir ingenii haud veritus sit ea proponere, quae nec fuisse demonstraverit et certum sit nec fieri nec dici potuisse nisi ab hominibus valde ineptis.* Quis non multo malit talia in se scripta esse, quam sic ipse scripsisse? Non sincere egit vir doctissimus, sed iis usus est artibus, quibus facile est incauti lectoris animum fallere. Ego de his meo more dicam. Incipiam autem a postremis. Suam disputationem eo redire dicit, ut probabile sit id,

quod attulerit. Non ita, sed haud paullo confidentius scripsit in illa dissertatione p. 7. *illud tamen sponte patet vel ex ipsa ludorum successione, ὑποβολὴν Teiae inscriptionis nihil esse aliud nisi Chiae ῥαψῳδίαν.* Nunc autem (v. supra p. 9.) *longe est certissimum.* Neque quod me dixisse ait, dubitari de mea explicatione non posse, sic ego, sed aliquanto lenius dixeram his verbis p. 311. *eam autem illa, quae certissima est verbi significatio, tam planam, tam simplicem, tam rei accommodatam offert, ut non dubitandum de eius veritate videatur.* Ipsam autem explicationem meam quum bellam vocat adolescentium Graecorum, memoriosorum tamen, commissionem et certamen de victoria, adstante monitore haesitantibus opitulaturo, callide aliud substituit certamen, quo ineptum et ridiculum videatur, quod ego dixi. Aliud est enim memoriae certamen, aliud recitationis. Nostri quoque adolescentes memoriosi sunt, recitantque in consessu audientium memoriter, et tamen adstat opitulaturus monitor. Cur? quia non quam bene memoria teneant orationes suas, sed ut recte decoreque pronuncient, curatur. Certamina illa, quae et in Chia et in Teia inscriptioae commemorantur, earum sunt artium, quibus puerilis disciplina continetur, qualia sunt nitide scribendi, recte de scripto referendi, et, ut ego quidem opinor, apte recitandi non de scripto. Tali in recitatione, quae non est memoriae certamen, sed scite decoreque quae quis memoriae mandaverit recitandi, minime inutilis, sed potius necessarius est monitor, qui haesitanti suggerat verba, quo ille ne conturbatus id ipsum, cuius peritiam ostendere debet, agere nequeat. Memoriae certamen, opinor, μνήμης esset appellatum. Illud autem, quo quis apta vocis modulatione gestuque recitandae orationi occommodato se probare audientibus debet, quum recitationem de scripto excludat, opus habet sane memoria, sed, quoniam aliarum rerum quam memoriae certamen est, provideri oportet, ne impediatur illud certamen, si forte vacillet memoria. Eadem caussa histriones non apud nos tantum suggestorem suum habent, sed habuerunt iam apud veteres. Nam quod rei cuiusque natura sibi poscit, quis credat nuper demum esse inventum? Deinde bella vocantur etiam suggestionis diverbii nomina, dicorque, dum Charybdin evitare voluerim, ut ὑποβολῆς nomine diceretur rhapsodiae certamen, in hanc incidisse Scyllam, ut, qui recitationis memoriter factae certamine vicisset, is diceretur certamine eius rei vicisse, qua qui opus haberet, debuerit victoria indignus iudicari. Patet vero commenticiam esse istam Scyllam, quia non dixi de memoriae certamine,

sed memoriae certamen illi de quo dixi certamini ab adversario substitutum est. Sed quo magis deridiculo sint illa suggestionis et suggestionis diverbii nomina, calumniose detorta sunt eo, ut significare narrentur, quod Germanice dicatur *Sieger im Souffliren, im Vorsagen*. Nescio cui haec scripta sint. Non puto enim ullum hominem eorum, qui legerint quae de ista re scripsi, non vidisse, de certamine me dixisse non suggerentium verba, sed eorum, quibus suggererentur. Unde ergo ista sententiae meae in contrarium distortio? Nimirum scire se dissimulavit vir doctissimus, omnia istiusmodi vocabula duplicem habere potestatem, ut et active et passive dicantur, eoque ὑποβολὴν et suggestionem esse eius, qui suggerat, et eius, quod suggeratur. Quarum significationum quum eam delegerit, qua risum commoveret, non cogitasse videtur, risurum esse neminem, nisi qui tam et iudicii expers sit et linguae Graecae ignarus, isto ut laqueo capi possit. Quod si ὑποβολὴ passive intelligitur de eo quod suggeritur, non vereor ne quis recitationem, cui suggestor adsit, ineptum quid aut ridiculum esse iudicet. Usitatam vero hanc certandi rationem fuisse non habeo sane quo demonstrem, nisi ipsum hoc ὑποβολῆς vocabulum, deficientibus aliis testimoniis: (et quam pene etiam histrionum ὑποβολέως oblitterata erat memoria) sed dixerimne quod nec fieri nec dici potuerit nisi ab hominibus valde ineptis, id iis relinquo aestimandum, qui secum cogitabunt, quod apud nos fit, fieri potuisse etiam apud Teios; recitationemque, qualem dixi, minime abhorrere ab aliis quae et illa in inscriptione et in Chia commemorantur puerorum atque adolescentium certaminibus; denique orandi exercitationes et specimina moribus atque institutis Graecorum consentanea esse vel maxime. Postremo si temere neglecto loco Diogenis spretaque Chiorum ludorum analogia refellendi quodam studio ὑποβολὴν non de rhapsodia accepisse dictus sum, Diogenis locum, etiam si et scripserit ille ἐξ ὑποβολῆς et id *excipiendo* vel *succedendo* esse voluerit, nihil ad rem facere iam supra ostendi, Chiorum autem ludorum analogia eiusmodi est, ut propterea, quod in Chiis ludis ῥαψῳδία sequuta est ἀνάγνωσιν, in Teiis autem ἀνάγνωσιν praecessit ὑποβολὴ ἀνταποδόσεως (sive, ut Boeckhio placet, ὑποβολῆς ἀνταπόδοσις), ego eo minus iudicem ὑποβολὴν idem esse quod ῥαψῳδίαν, quod, quum etiam aliis certaminum generibus isti ludi inter se diversi fuerint, similitudinem potius recitandi et canendi certaminum agnosco, quam ut ὑποβολὴν contra quam fieri potuisse intelligo idem cum rhapso-

dia fuisse adducar. Quin vel per se prorsus non potest credi, quum *ῥαψῳδία* nomen esset in omni Graecia usitatissimum, solos Teios quod caeteri *ῥαψῳδίαν* vocarent, alienissimo vocabulo *ὑποβολὴν* appellasse.

Haec quidem hactenus. Addam his, sive id refellendi studio, sive ut amico laudem suam vindicem, sive quacunque demum caussa facere videbor, pauca de epigrammate, quod in eadem illa parte Corporis Inscriptionum p. 578. n. 2907. tractatum est. Audacius id more suo correxerat Brunckius in Adnott. ad Anal. p. 288. modeste Iacobsius in Append. Anthol. Pal. p. 875. n. 376. Est autem hoc, ex muro urbis Prienae:

Ὑπνώδης Φίλιος, Κύπριος γένος ἐκ Σαλαμῖνος,
υἱὸς δυστονοεν ἅπλοκον εἶδεν ὄναρ,
Θεσμοφόρους θ' ἁγνὰς ποτνίας ἐν φάρεσι λευκοῖς·
ὄψεσι δ' ἐν τρισσαῖς ἥρωα τόνδε σέβειν
ἤνωγον πόλεως φύλακον, χώραν τ' ἀπέδειξαν·
ὧν ἕνεχ' ἵδρυσεν τόνδε θεὸν Φίλιος.

In secundo versu Brunckius posuit *υἱὸς Ἀριστονόου*, Boeckhius *υἱός δ' Ὑψίονος*, quod nomen similiter esset ex comparativo factum ut *Κρείσσων* in inscriptione 2852. At quod ibi ipse edidit *Κρείσσονος* valde dubium est, quum in lapide sit *ΚΡΕΙ* in fine versus, *ΣΟΝΟΣ* autem in sequentis versus initio. Nec puto *ΥΣΤΟΝΟΕ* tale esse, ut recte inde ignotum nomen *ὙΨΙΟΝΟΣ* procudi possit. Porro scribit: *Guil. Dindorfius in litteris ad me datis rectissime annotavit ante verba εἶδεν ὄναρ nomen proprium herois statuendum esse, ac simul nuntiavit amicum eius doctissimum coniicere Αἴπυτον.* Acceperat a Dindorfio eum amicum esse A. Seidlerum, sed non nominavit. Scilicet Seidlerus acutissime et nomen herois requiri intellexerat, et eum coniecerat Aepytum esse, quem conditorem Prienae fuisse Strabo XIV. p. 633. et Pausanias VII. 2, 10. testarentur. Boeckhius quidem quum cogitasset in *ΝΑΠΛΟΚΟΝ* latere posse *Νάοκλον*, quem sic Pausanias, Strabo autem *Ναῦκλον* vocavit, filium Codri, qui ipse quoque vicina Prienae loca accessit, tandem veri simillimum esse iudicavit *Ἄνδροκλον* scriptum fuisse, quod is, licet Ephesi tantum conditor dicatur, tamen universae Ionicae coloniae praefuerit, posterique eius Ephesi sacra Eleusinia, Strabone teste XIV. p. 632. seq. retinuerint, unde in hoc lapide Thesmophoros commemorari. Egregia haec coniectura est, poterantque ei firmandae afferri etiam haec Pausaniae verba VII. 2, 6. *Σαμίων δὲ ἤδη κατεληλυθότων ἐπὶ τὰ οἰκεῖα, Πριηνεῦσιν ἤμυνεν ἐπὶ τοὺς Κᾶ-*

ρας ὁ Ἄνδροκλος, καὶ νικῶντος τοῦ Ἑλληνικοῦ ἔπεσεν ἐν τῇ μάχῃ. Androcli igitur nomen quum isto *ΑΠΛΟΚΟΝ* contineri valde probabile videatur, iam quaerendum est quid fieri debeat illis *ΥΙΟΣΔΥΣΤΟΝΟΕΝ*. Ac Boeckhii coniectura cur displiceat, dixi. G. Dindorfius autem quod scribendum putabat, *οἷος* (nam *οἶος* typographi error est) *νυστάζων*, quia, quum *ὑπνώδης somniculosus* sit, accuratior ipsius somni descriptio requireretur, id mihi litterarum formis nimis dissimile, ob sententiam autem ne ferendum quidem videtur. Neque enim *νυστάζων* aptum verbum est, ubi de somnio, quod tanti momenti sit, agitur, neque cur solus dormitasse dicatur Philius apparet, quum etiam si non solus dormivisset videre heroem istum candidatasque deas potuerit. Immo ego neque *ΥΙΟΣ*, quod in lapide est, temere repudiandum puto, nec dubitandum quin nomen patris quaeri oporteat. Et, si *δέ*, quod Boeckhio post *υἱός* scriptum videbatur, alio loco positum putabimus, vix quidquam propius ad *ΥΙΟΣΔΥΣΤΟΝΟΕΝ* accesserit, quam *ΥΙΟΣ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ Δ'*. Quod autem in principio epigrammatis est *ὑπνώδης*, etsi simplicius et aptius dictum esset *ὑπνωθείς*, tamen, si est in lapide, non est perperam, sed exquisite dictum. Certe de alto somno dictum videtur quamvis in corrupto loco Euripidis, apud quem quod in Hercule furente v. 1048. scriptum est, *μὴ τὸν εὖ διανόντα ὑπνώδεά τ' τ' εὐνᾶς ἐγείρετε*, fortasse ad hunc modum corrigi poterit:

μὴ τὸν εὖ τε
χὐπνώδεα διϊαύοντ'
εὐνᾶς ἐγείρετ'.

Sed finis faciendus est huic libello, ex quo cognosci poterit, duplex esse atque ut origine diversum, sic dissimile natura studium refellendi. Venio nunc ad id, cui haec praelusa sunt. Memoriam enim illustrissimae comitis Jo. Henr. Lvd. de Bestvschef Rvmin, quae quum litterarum studiosis ex nobilissimis gentibus Haugwitzia et Carlowitzia, tum etiam aliis iuvenibus, qui apud nos liberalium doctrinarum artiumque studiis diligenter operam darent, liberalissime prospexit, debitis laudibus recolet vir generosissimus, Georgius Iob de Carlowitz, iuris studiosus; cuius ad orationem d. XXVIII. Octobr. h. IX. audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, PRINCIPEM CELSISIMVM, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES HVMANISSIMOS et oratoris et nostro nomine qua par est observantia invitamus. P. P. Dom. XIX. p. F. Trin. a. MDCCCXXXV.